



Universitätsbibliothek Paderborn

Meditationes De Præcipvis Fidei Nostræ Mysteriis

Vitæ ac Passionis D.N. Iesv Christi; Et B.V. Mariæ; Sanctorumq[ue] et
Euangeliorum occurrentium Cum Orationis Mentalis circa eadem praxi In
sex partes tributæ

Quæ Meditationes Complectitur circa omnia Christi Domini Acta, ab eius
Baptismo ad finem vsque Prædicationis, Doctrinam, Miracula, Parabolas

Puente, Luis de la

Coloniae, 1612

49. De Filio prodigo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54633)

MEDITATIO XLIX.
DE FILIO PRO-
digo.

PUNCTVM I.



a Luc. 15. 11.

ESIDERANS Christus Do-
minus noster, vt omnes in-
telligerent, quanta ipse be-
nignitate poenitentes pec-
catores reciperet, hanc pro-
posuit Parabolam: a Homo
quidam habuit duos filios, &
dixit adolescentior ex illis patri, pater, da mihi
portionem substantia, qua me contingit. Et di-
uisit illis substantiam. Et non post multos dies,
congregatis omnibus, adolescentior filius peregre
profectus est in regionem longinquam: & ibi dis-
sipauit substantiam suam viuendo luxuriose.

I.

CONSIDERANDVM primò, quod Dominus
Deus noster, huius parabolæ parente expres-
sus, duo genera habeat filiorum, vnum bono-
rum, quos maior filius refert; quia virtus &
antiquior est & pretiosior; & in ea consistit
vera sapientia, & in hac venerabilis senectus:
aliud iniquo, ù, qui per minorem filium ado-
lescentem significantur, nam cum vitio con-
iuncta est imprudentia & leuitas, quam ille
ostendit, dum à parente petiit hæreditatem,
quæ ad se spectabat; vt eam per seipsum admi-
nistrat.

nistraret: insinuans secretâ quadam superb.â, Deum aliquid ipsi debere: ac præsumens, se solum & per se ipsum scire & posse illud gubernare. Contrâ quàm faciant boni filij, qui demissè credunt, ex gratia se habere quicquid habent; nec prudentiæ suæ in eius gubernatione fidunt.

HINC, ad liberalitatem diuinam infinitam considerandam ascendam, qua utitur in distribuendis donis ac talentis naturalibus, & multis etiâ supernaturalibus tam bonis quàm iniquis filiis, illorum libertati relinquens bonum & malum illorum vsum; manere in domo sua, aut ab ea exire, nulla vlli illata violentia: vt enim ait Sapiens: *b Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui, apposuitq; illi aquam & ignem, vt ad quod voluerit porrigat manum suam: ante hominem vita & mors, bonum & malum, vt eligat quod placuerit: ita tamen, vt suggerat semper bonam electionem, & bonum vsum eius, quod illis dedit: ad quod etiam præbet auxilium.*

HINC tertio pergam considerare, filiorum felicitatem in eo esse, vt in cœlestis patris domo maneant, & sub eius protectione; vt ab eo gubernentur, & in talentorum ac donorum acceptorum vsum dirigantur, ei que in omnibus obediant. quem enim *c Deus gubernat in via qua ambulat is obtinebit* (sicut ipse per Isaiam promittit) *pacem sicut flumen, & iustitiam sicut gurgites maris.* Contrâ vero malorum filio-

II.

b Eccl. 15. 17
b Deut. 30.
15. 19.

III.

c Isai. 48. 18.

rum infelicitas initium sumit ab eo, quod ex paterna domo, & eius gubernatione discedere velint, vt seipfos iudicio proprio & voluntate gubernantes, laxiorem vitam instituant. Ex quo efficitur, vt in regionem longinquam statim se conferant, procul à Deo discedentes ob culpam, & vitæ dissimilitudinem, & obliuionem diuinæ præsentia; exponentes & expendentes quidquid habent, viuendo luxuriosè; & ita cum creaturis in concubinato manentes, quia plus illas, quàm creatorem amant. Ex quo intelligitur; secretam superbiam labi in manifestam luxuriam; & multum sibi fidere eò hominem adducere, vt procul à Deo recedat; & multum Dei obliuisci hoc efficere, vt nimium homo creaturis adhæreat: donec supernaturalia bona gratiæ & charitatis amittat; & ipsa etiam naturalia deturpet, & obfuscet, cum iactura interdum facultatum, honoris, & quietis.

IN hoc adolescente meipsum considerabo, dicamque Deo Domino nostro: ô Pater celestis, ecce hîc filium vnum prodigum, qui cum magna dona à liberali manu tua accepissem, è domo tua discessi; tuamque gubernationem reliqui, vt propriam meam voluntatem & iudicium sequerer: Procul à tua præsentia innumerabilibus meis peccatis discessi; bona, quæ mihi dedisti, ad meam voluptatē illis vtens, contempsi! ô Domine quanta me patientiâ, & quamdiu sustinuisti! vtinam domum tuam nunquam deseruissem! ô me miserum,

qui

qui uti iuuenem, & liberum, maleque expertum permisi me à mea sensualitate decipi! Deus meus miserere mei & non mihi neges *d* misericordiam: quia ignorans feci. *d* 1. Timos. 1.13.

PUNCTVM II.

ET a postquam omnia consumasset, facta *a* Lnc. 15.14 est fames valida in regione illa, & ipse cepit egere. Et abiit & adhesit vni cuius regionis illius. Et misit illum in villam suam, ut pasceret porcos. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat. Perpendendæ hic sunt spirituales & corporales miseriæ, in quas incidunt peccatores, ob superbiam & rebellionem suam, quando bona gratiæ dissiparunt, & *b* in profundum peccatorum peruenerunt contemnentes. *b* Prom. 12.3.

PRIMA miseria est ingens *c* fames non panis, sed audiendi verbum Dei, ob defectum spiritualis cibi: quæ fames præualet valde in regione malorum, apud quos nemo est, qui possit adferre remedium: est autem hæc fames quia non recipiuntur sacramenta, non auditur verbum Dei, non leguntur pij libri, non videntur exempla bona, non percipiuntur internæ animæ consolationes. *c* Amos 8.11

SECUNDA miseria est, quod maximo illius *i* I. regioni cui, qui est dæmon, sese subiiciunt & seruiunt, strictissimo amore miserimè amantes quod debuissent odisse; eidemq; obediunt in rebus infamibus, & in vitijs hominis generositate indignis.

T E R-

III. TERTIA est, pascere porcos, occupare videlicet se in sola sensuum suorum & carnalium appetitionum gubernatione; sollicitè quærentes quomodo illos allant; & in pascentis dæmonibus, quorum cibus est luxuria nostra, & sensualitas nostra: quibus illi vehementer delectantur.

IV. QUARTA est, quòd voluptatum ipsarum fames est etiam insatiabilis: nunquam enim usque ad satietatem potest pervenire, qui se illis tradit, neque quod quærit assequitur: quia cibus, quo vescitur, non est hominum, sed immundarum bestiarum; qui non sufficit ad illum satiandum. Quæ igitur maior miseria accidere potest homini, qui erat Filius Dei, & poterat cum honore & saturitate in domo cœlestis patris sui permanere? O cœcilitatem cordis mei, quæ ad tantum malum me deducis! absit absit, ut vivere velim in regione adeo famelica, aut hero adeo crudeli seruire, aut officio adeo vili me occupare.

ad Osea 2.6.

CONSIDERANDUM denique est, Christum Dominum nostrum affligere interdum peccatores (& ut per Prophetam dixit) *sepire viam ipsorum spinis*, ut saltem formidine pœnæ sapiant, & conuertantur ad Deum: quare illos castigat paupertate, fame, dedecore, & servitute; & quòd maiores sunt peccatores, eò in maiores permittit incidere miseras, ut animæ suæ oculos aperientes, conuertantur: quæ maior est Dei in illos misericordia, quam si in temporali prosperitate manere permit-

teret:

teret: iuxta illud Prophetæ: *e misereamur im-* c *Isa. 26. 10.*
pio, & non discet iustitiam; & illud frequiescet f *Exec. 15.*
indignatio mea in te, & auferetur zelus meus à 42.
te, & quiescam, nec irascar amplius: Quia hoc,
 signū videtur reprobationis illorum. *ô Deus*
animæ meæ, ne auferas zelum misericordiæ
tuæ à me, si ego à te recessero; sed statim cala-
mitatibus me reple, donec per peccatorum
meorum pœnitentiam ad te conuertar.

PUNCTVM III.

IN se autem a reuersus dixit filius prodigus: a *Luc. 15. 17.*
quanti mercenarij in domo patris mei abun-
dant panibus: ego autem hic fame pereo! sur-
gam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei, Pater
peccaui in cœlum & coram te: iam non sum di-
gnus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de
mercenarijs tuis. Et surgens venit ad Patrem
suum.

H I C considerandum primò, conuersio-
 nem peccatoris ab eo initium sumere, vt sei-
 psum ingressus, suas miseras consideret, qua-
 rum obliuiscitur, quia ambulat quasi extra se,
 effusus in creaturas. Ad hoc itaque præuenit
 illum Deus inspiratione & illustratione in-
 terna, quæ nunquam cessat, sed potius in me-
 dio scelerum eius inculcat illud Prophetæ:
redite prauaricatores ad cor. quasi dicat, in- b *Isaia 46. 3*
gredimini cor vestrum, & recipite sensum, 12.
quem amifistis. Audite duri corde, qui tōge estis
à iustitia: Prope feci iustitiam meam, non elon-
gabitur, & salus mea non morabitur: venite &

acci-

accipite si vultis. O anima mea, quæ extra te ambulas, ingredi in cor tuum, & stude te cognoscere, vt inuenias Deum, qui tibi subuenire potest.

II.

DEINDE considerabo, quanti referat peccatori, conferre miserandum suū statum cum statu iustorum, etiam imperfectissimorum, & qui Deo, vt mercenarij, & propter sui laboris mercedem, seruiunt. Nam hac ratione clarius aduertit famem, & necessitatem suam, abundantiam verò qua Deus illis prospicit, qui ipsi seruiunt; & beneficia, quæ illis confert in vfu Sacramentorum, Concionum, & aliorum animæ alimentorum. Ex quo sese excitat ad desiderandum & procurandū statum illum, qui tot partibus suo præstat. Et si quando fuit iustus, vixitque ordinatè & secundum Dei legē, decet ipsum comparare præsentem suū statum, cū præterito, vt confusus ob præsentem miseriam, vsurpet illud Prophetæ: *c vadam, & reuertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc, magis quam nunc.* O anima mea, conuertere ad Dominum Deum tuum, qui non potest verbo suo deesse, quo dixit d *conuertimini, & videbitis, quid sit inter iustum & impium: & inter seruientem Deo, & non seruientem ei, quod cito experiri poteris, si tuam properes mutare vitam.*

c Osee 2. 7.

d Malach. 3. 18.

III.

TERTIÒ considerandum, quanti referat, magna & firma proposita concipere, nos ad Deū conuertendi: quæ ex parte vna humilitati & propriæ indignitatis cognitioni innitā

tur;

tur; ex altera verò bonitati & misericordiæ patris nostri cœlestis: sic enim expeditius sic nostrum remedium. Agnosco, Pater mi, me adeo esse miserū, vt non merear vocari filius tuus, nec decet nomen adeo gloriosum tribui homini adeo infami; qui se ad pascendos porcos abiecerit: veruntamen simul agnosco, quòd quamuis ego indignus sim nomine filij; tu non desieris esse Pater. En ad domum tuam redeo, confidens de tua misericordia, quod me recipies in illa. Peccaui, Domine, in cœlum & contra te, tot scelera, videntibus Angelis, & coram tuis purissimis oculis faciens; peccaui in cœlum, vtens eius lumine & influentijs ad te offendendum; peccaui coram te, exiens ex domo tua & gubernatione tua, præferendo voluntatem meam tuæ voluntati: pœnitet me sceleris mei, non sum dignus admitti ad delicias filiorum dilectissimorum: Admitte me saltem ad commoditatem mercenariorum: magnæ enim felicitati meæ tribuâ esse in domo tua, quâuis minimus sim in ea.

DENIQUE considerandum, plurimum referre, si bona proposita opere exsequamur, antequàm eorum calor refrigescat: sicut prodigus iste filius fecit, qui statim atque ad patrem suum redire statuit, cœpit ire versus illum. neq; enim decet manu super manū collocata hære, & expectare vt De^o ipse omnia faciat, nos q̄rat, & per capillos, vt dicitur, trahat: sed vult ipse, vt quandoquidē nos gratiâ suâ præueniens, excitat, nos illū quæramus, &

facia-

IV.

faciamus aliquid, deferentes prauam vitam, & obediētes iis, quæ nobis inspirat, vt bonam inchoemus.

PUNCTVM IV.

a Luc. 15, 20.

CVM a autem adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est, & occurrens cecidit super collū eius, & osculatus est eum. Dixitq; ei filius: Pater, peccavi in cælum & coram te; iam non sum dignus vocari filius tuus. Dixit autem pater ad seruos suos: cito proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius, & calceamenta in pedibus eius. Et adducite vitulum saginatum, & occidite; & manducemus & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit; perierat & inuētus est. Et cœperunt epulari. Adhibita etiam Musica, & Symphonia instrumentorum & vocum.

HIC est consideranda infinita charitas & bonitas patris nostri cœlestis, quæ in multis resplendet.

I.

PRIMVM, quod oculis misericordiæ peccatorem respiciat, quāuis procul adhuc agentem, & necdum ad ipsum conuersum, sed tamen de conuersione cogitantem: & hac pietate festinans accurrit ad iuuandum inspirationibus & pulsibus internis, donec omninò sit ille conuersus: & tunc seipsum illi coniungens, illum amplectitur, datq; ei osculum pacis, hoc est gratiæ & amicitæ suæ illum restituit. O Pater benignissime & purissime,

non

non horres, non mouet tibi stomachum amplecti porcorum custodem, fetidum & deformem, filium impudentem, & qui te non nouerit, hominem turpem, nudum sine calceis, sine vestibus: apparet bene Domine, quod sis Pater; & quod amor patris facit te extra te exire, vt te in filios effundas.

DEINDE in eo ostendit suam charitatem, quod magna liberalitate id restituat filio, quod ille amiserat: nam reddit illi stolam primam, vestem gratiæ & charitatis; annulum Spiritus sancti, & familiaris cum Deo cōuersationis; & exercitium bonorum operum manibus eius; calceamentum pro pedibus diuinæ protectionis, & virtutum, quæ affectus animæ mortificant, & gressus eius dirigunt, ornantque; vt alijs possit prædicare Euangelium pacis: inuitat illum ad saginatum viculum Sacratissimi sui corporis in Sacramento altaris, & copiam consolationum ac deliciarum spiritualium, quas ibi illi communicat. O Pater misericordiarum & Deus totius consolationis, quot simul misericordias accumulas in vnum peccatorem; & quantum cumulum consolationum ei das immerenti?

TERTIO eandem misericordiam ostendit, cum hæc omnia magno suo gustu & voluptate præstat peccatori, atque si ipsius referret talis conuersio, volens vt omnes serui gaudeant & lætentur, & conuiuium habeant lætitiæ propter eam. Plurimum tibi debeo, pater mi, propter bona, quæ mihi das; sed multo magis

III. part. Medit.

N n

obstri

obstrictum me sentio propter gustum & excessum amoris, quo illa largiris. Cupio pari gustu & voluptate tibi seruire, aliquid reddendo eorum, quæ tibi debeo; siquidē amori nihil, quod par sit, reddi potest, nisi amor.

IV.

DENIQUE perpendam, filium prodigum admirantem tantam misericordiam, & charitatem patris erga se, eiusque visceribus eā commotis, non petuisse admitti se, sicut vnum ex mercenariis, sicut petere statuerat; sed proiecisse se potius in manus patris, confidentem, quod ipsum admitteret ad filii dignitatem. O quàm meritò, pater mi, de tua misericordia confido, quem video tanto favore prosequi eos, qui ad illam confugiunt. Et præterea das operam, vt hoc ipsum in omnium notitiam perueniat; ne magni peccatores desperent, videntes quàm benignè tales recipias, & ad quantam dignitatem eos tam liberaliter eleues.

*S. Bern. ser.
85. in Cant.*

PUNCTVM V.

a Luc. 15. 25.

CVM a autem senior filius veniret ex agro & appropinquaret domui: audiuit symphoniam & chorum. & cum cognouisset causam, indignatus volebat introire; sed pater egressus cepit rogare illum. At ille respondit: ecce tot annis seruii tibi, & nunquam mandatum tuum præterui. & nunquam dedisti mihi hedi, vt cum amicis meis epularer: sed postquam filius tuus hic, qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus venit, occidisti illi vitulum sagi
natum.

natum. At ipse dixit illi: fili tu semper mecū es, & omnia mea tua sunt. Epulari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit; perierat, & inuentus est.

CONSIDERANDVM hic primò, quæ ratione imperfecti quidam, qui fuerunt innocentes, & à grauibus peccatis præseruati; soleant interdum inuidiâ tangi ob illos fauores, quos vident Deum ostendere iis, qui magni fuerunt peccatores, & ita murmurantes conqueruntur, quod Christus Dominus noster non ita ipsis atque illis indulgeat, iudicantes se plura adhuc esse promeritos. Hoc autem oritur ex defectu humilitatis, & charitatis, displicetque vehementer Deo: cui contra multum placet, si nos gaudeamus de bonis, quæ ipse fratribus nostris confert, dicamusque cum Moyse *b quis tribuat, vt omnis* *b Num. 11. 29.* *populus prophetet, & det eis Dominus spiritum suum: Utinam Domine peccatores omnes recipias, eosque ad magnum iustitiæ & sanctitatis altitudinem promoueas.*

DEINDE considerandus est scopus Christi Domini nostri in hoc responso filii senioris: voluit enim extollere misericordiam & liberalitatem, quam filio minori exhibuit, quæ tanta erat vt posset prouocare ad inuidiâ & quærimonias ipsos iustos, quâuis ipsi virtute sua huiusmodi vitiiis aditum nõ darent venerantes occulta Dei iudicia, & eiusdè bonitatis magnitudinem, dū se creaturis cõmunicat: maiora interim amoris & benignitati

indicia ijs præbens, qui magis indigni eorum esse videntur.

III.

TERTIO perpendenda est Patris misericordiarum interna responsio, quam iustis illis dat, qui seruo illi deseruiunt: fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt. O Pater amantissime, ubi maior fauor & indulgentia, quam ista, esse potest? quæ stola? quis annulus? quæ calceamenta? quis vitulus saginatus? pluris æstimari potest, quam me semper esse tecum? in domo tua, in obedientia tua, sub gubernatione tua? & quod omnia tua mea sint? si omnia mea sunt, mea est gratia tua, mea sunt dona tua, meum cœlum, meus filius tuus & redemptor meus, & tu quoque ipse meus es: quia in te omnia tua sunt! O Pater meus, Deus meus, & omnia mea! tu delitiæ mea, honor meus, & diuitiæ mea! & si tua sunt mea, mea quoque sunt tua! hoc solo fauore contentus sum, vt semper ego tecum sim, & tu mecum: & quod tua omnia mea sint eo pacto, vt nihil ego velim, nisi quod à tua manu mihi prouenerit: & hoc mihi sufficere existimem, si tantum seruiam tibi

Patri meo cœlesti, cui sit gloria & honor in secula,

Amen.